

*gub*



55

PROGRAMMA  
IN  
FVNERE  
VIRI  
MAGNIFICI, NOBILISSIMI ET CON-  
SVLTISSIMI  
DN. ANDREÆ  
HOMBV RGII

Jcti, Codicis in illustri Julia Professoris publici  
ordinarii meritissimi, & Dicasterii Wolfenbutelenfis  
Assessoris, Ordinis sui Antecessoris primarii.

P. P.

Calendis Julii MDCCXIV.



HELMSTADII,

TYPIS GEORG-WOLFGANGI HAMMII, Acad. Typogr.

PROGRAMMA

IN

EVANGELIUM

VIRI

IN

EVANGELIUM

DR. ANDREAE

HOMBURGII

MDCCCLXXII


P. P.

CHURCH-MEDICINE

HEINRICH

THE GEORGE WERNER HANAU, AND TYPE





PRORECTOR ET SENATUS  
ACADEMIÆ JULIÆ  
CIVIBVS ACADEMICIS  
S. P. D.

**I**ngentem jacturam academiæ Juliæ attulit, & docentium pariter atque discentium ordini novam imposuit lugendi necessitatem dies proximi mensis post vigesimum primus, qui nobis nihil tale metuentibus repentina morte eripuit Virum Nobilissimum & Consultissimum, DN. ANDREAM HOMBURGIUM, Antecessorem primarium, Facultatis suæ Senioremem prudentissimum, Dicasterii Guelserbütelensis Assessorum gravissimum. Amisit in eo amplissimum collegium Jctorum antecessorem divini humaniq; juris scientia insignem, causarum forensium peritia excellentem, perspicacem, indefessum, nullis unquam vigiliis, nullis laboribus fractum. Amisit Senatus academicus Senatorem prudentissimum, & singuli nostrum amissimus collegam amantissimum, amicum integerrimum; quotquot vero in discentium subselliis jurisprudentiæ disciplinam colunt præceptorem amiserunt præclarissime meritum. Sed placuit supremo vitæ necisque Domino HOMBURGIUM præcipiti impetu oculis nostris prius subducere, quam mortis periculum imminere quisquam cogitare vel prævidere posset. Amisit amplissima Facultas Juridica decem annorum intervallo quatuor Antecessores, omnes ordinis sui Seniores,

A 2

quod

quod maxime dolemus; hoc autem funus peculiarem continere videtur graviter lugendi causam. Nam si inter ea quæ in hac mortali vita nobis tristissima obijciuntur, acerbissimum dolorem excitant, quæ nec metuentibus nec opinantibus eveniunt, & vulnera altiora solent esse, quæ vehementiori impetu infiguntur, merito ingemiscimus in funere conjunctissimi collegæ, cujus masculam vocem vespera proxima in publico Facultatis conventu audivimus, in cuius vultu colorem vividum nullo pallore suffusum sub solis occasum his oculis aliqui viderunt. Sed postquam Spiritus rediit ad Deum, nihil restat, quam ut corpus terræ mandetur. Fiet hoc hodierni hora post meridiem prima, quando solennibus exequiis funus ex ædibus Homburgianis effertur. Est igitur officii nostri, ut secundum morem in academiis laudabiliter receptum, quæ de Collegæ nostri desideratissimi natalibus, vita, ejusque repentina, attamen beata, clausula innotuerunt, paucis recenseamus, ne dum corpus terra tegitur, insignium virtutum & plurimorum meritorum memoria oblivione sepeliatur. Ut igitur inde commemorationis nostræ sumatur exordium, unde extitit ipsi vivendi principium, ingressus est hanc vitam anno seculi superioris supra quinquagesimum sexto, cujus mensis primi die post decimum quinto in lucem editus moriendi necessitatem subiit. Patriam nactus est hoc ipsum oppidum, academiæ Juliæ domicilium, cujus celebritas tot doctissimorum virorum laudibus illustrata eruditum orbem implevit. Parentem habuit JOHANNEM HOMBURGIUM primum Physices, deinde Logices Professorem publicum ordinarium, ob *insignes animi dotes*, leguntur hæc verba in publicis ordinis istius annalibus, *toti academiæ, & inprimis Facultati Philosophicæ longe carissimum.* Matrem habuit ANNAM WROCK,  
Matro-

Matronam piam & fexus sui virtutibus egregie ornatam. Avum paternum habuit ANTONIUM HOMBURGIIUM in vicini Episcopatus Hildesienſis metropoli, inter inferioris Saxoniae urbes haud poſtrema, pharmapolam, & Reipublicae iſtius ſenatorem ſolertem & maxime circum ſpectum, qui noſtrum ſuſcepit ex honeſtiſſima matrona, ANNA DEDEKENIA, Viri Reverendi, HENNINGI DEDEKENI, Paſtoris fideliffimi Brombergenſis in Ducatu Calenbergeniſi, filia. Avum maternum naſtus eſt JOACHIMUM WROCKIUM oppidi hujus civem primarium, & ſpectatae fidei ac integritatis mercatorem, ſenatorio ordini adſcriptum. Avia denique materna ipſi fuit GERTRVDIS EGGENSTEINIA, Dn. HENRICI EGGENSTEINI Canonici Halberſtadienſis filia. Prima piorum parentum cura fuit, ut filiolus in peccatis conceptus a connata labe purgatus, ex inſtitutione Chriſti ſanctiſſimo regenerationis lavacro fidei noſtrae myſteriis initiaretur. Factum hoc eſt, quando paucis poſt nativitatem diebus per chriſtianos ſponſores Chriſto Servatori Sacramentum dixit, & in memoriam factae regenerationis ANDREÆ nomen a ſacro fonte reportavit. Contigit autem noſtro, quod ſaepe evenire ſolet praeclearis ingeniis, quae ſupremus rerum humanarum moderator gravioribus aliquando ſuſtinendis deſtinavit, ut a tenuioribus initiis ad majora ducendi primis vitae temporibus cum adverſis luſtari neceſſe habeant. Nondum expleverat primum aetatis annum quando puerulus ſeptendecim hebdomadam aſpero & per inſequentem vitam maxime deplorando fato, Parentem optimum praematura morte interceptum amiſit. Suſceſſit in locum paternae formationis pietas & ſolicitudo amantiſſimae matris, optimae matronae, quae in noſtro, ejusque ſorore unica, & fratribus natu majoribus probe educandis talem adhibuit curam & ſedulitatem, quam liberi omnes per univerſum vitae

tæ decursum summis laudibus ac gratissima mente nunquam non celebraverunt. Non ignorabat ea, quod in utramque partem tanta sit educationis vis, ut nec degenerent, quibus recta contigit educatio, nec ad frugem pervenire soleant, quorum prima formatio negligitur. Prima circa nostrum cura fuit, ut vera in Deum pietate, virtutum omnium genitrice, à teneris imbueretur. Hoc agens non monitis solum & præceptis, sed exemplo domestico filiolum excitans à pravo ipsum revocavit, & in bono confirmavit. Altera cura fuit, ut bonis artibus, & elegantioris literaturæ principiis imbueretur. Quare domi adhibuit præceptores eos, quos peritissimi formandæ pueritiæ magistri laboribus his dignos judicabant. Cum vero & cito comprehenderet, & firmissime retineret, quæ a præceptoribus proponebantur, in publicum hujus oppidi ludum etiam ducebatur, ne sine æmulis ingenium obtorpesceret. Sic paucorum annorum decursu non vulgarem consecutus est linguæ latinæ cognitionem, & in elegantiori literatura ejusmodi profectus obtinuit, ut altioribus studiis, quæ in academiis tradi consueverunt, maturus judicaretur. Septendecim annorum juvenis erat, quando studiosorum albo adscriptus, ad uberiores cultum percipiendum celeberrimorum virorum, in hac veræ sapientiæ & solidæ eruditionis propagatrice publice tum docentium auditoria primum ingrediebatur. Bene, copiose, ornateque dicendi facultatem illustrabat CHRISTOPHORUS SCHRADERUS, cui academia Julia magnam famæ suæ & celebritatis partem debet. Hoc duce etiam noster in persuadendi facultate profecit. In morali philosophia præceptorem habuit HENRICUM UFFELMANNUM qui istam Sapientiæ partem cum laude profitebatur. Civilem vero doctrinam, nec non juris publici & Imperii Germanici notiam coluit, præeunte HERMANNO CONRINGIO, qui  
univer-



universam propemodum Europam nominis celebritate implevit. His præceptoribus è philosophia practica, purissima illa juris scaturigine, ea hausit, quibus instructus & probe munitus ad arduam juris civilis doctrinam inbibendam animum felicissime præparavit. Transit igitur è philosophorum scholis ad Jctorum auditoria, in quibus clarissima juris lumina, CLASENIUM, ENGELBRECHTUM, BÖTICHERUM seculo & constanter audit, Antecessores illos nunquam non secutus, sive legendo, sive exminando, sive disputando juris disciplinam illustrarent. Foverat hætenus HOMBURGIUM sinu suo academia Julia, & animum discendi cupidissimum solidæ sapientiæ disciplinis præparatum Jctorum industria vastissima juris scientia exornaverat. Ipse vero studiorum telam in patria feliciter cœptam, in aliis doctrinarum emporiis pari felicitate pertexere cupiens, academiam Lipsiensem, quæ ut alias semper, ita etiam tum temporis Viris utriusque juris peritissimis floruit, ulteriori cultui destinavit. Ceterum commodam occasionem nactus mutavit consilium, & Lipsiensem academiam cum Argentoratensi permutavit. Itaque iter ingressus Cassellas transit, Francfurtum vidit, celebriores imperii urbes perlustravit, sed Spiræ quæ supremo in Germania tribunali & cameræ imperiali domicilium præbebat, per aliquot menses commoratus est. Inde digressus Argentoratum se contulit, & nobilissimam hanc Germaniæ urbem, inter imperii civitates tum facile principem, ingressus, in florentissima ejus academia, præter alios, sæpissime convenit studiorum gratia OBRECHTUM, stupendæ eruditionis Virum, benigne semper ab eo comiterque exceptus. Semper autem ob oculos versabatur academia patria, prima studiorum suorum mater. Reversus est in patriam felicissimis auspiciis, sed ita rediit, ut qui discendi causa discesserat, dignus haberetur, qui  
aliis

aliis ad amplissimam juris disciplinam privata disciplina præ-  
ret. Cepit igitur noster, ut & docendo magis magisque  
proficeret, & in solidæ eruditionis & intima juris penetrabilia  
altius penetraret, nec non dilectissimam genetricem aliqua  
funtuum parte sublevaret, industriis jurisprudentiæ cultoribus  
institutionem suam desiderantibus, operam privatissimam  
accommodare. Successit ex voto primus iste labor, & perspectis  
doctissimi juvenis dotibus, Amplissimus Jctorum ordo facultatem  
ipsi concessit, privatas aperiendi scholas, & in frequentiore  
auditorio leges interpretandi. Hac impetrata licentia, singulari  
dexteritate & perspicua docendi ratione consequebatur, ut  
audientium animi in amorem sui pertraherentur, & auditorum  
numerus mirum in modum augetur. Interim longe lateque  
diffusa HOMBURGII fama, in aulas penetravit, & Serenissimos  
academiæ hujus Nutritios promovit, ut anno seculi superioris  
post nonagesimum octavo ejusque mense penultimo publicum  
juris civilis scientiam extra ordinem docendi munus ipsi  
committeretur. Ab eo tempore nihil prius ipsi fuit, nihil potius,  
quam juventuti legum cupidæ prodesse, jurisprudentiæ  
disciplinam solide explanare, quæque vel in civili vita, vel  
causis in foro agendis usum præstare possent, ab abstrusis,  
inutilibus, aut antiquatis accurate distinguere. Effecit  
succrescens Homburgiani nominis celebritas, ut nova  
dignitate augetur, quando a Serenissimis ac Potentissimis  
Brunsvicensium & Luneburgensium Ducibus DN. RUDOLPHO  
AUGUSTO & DN. ANTONIO ULRICO in Dicafterio  
aulico Wolfenbutelensi assessoris munus ipsi delatum, &  
eorundem clementissima voluntate in illustre illud collegium  
cooptatus. Non impedivit dignitas nova, nec minuit  
solitam docendi industriam, sed incitamentum ipsi fuit, ut  
increta & aucta diligentia docendo, disputando, examinando  
studio-

Studioſæ juventutis commoda magna ſedulitate promoveret. Interea novum edidit ſolidæ eruditionis & peritiæ juris documentum, quando in celebri & antiquiſſima Erfurtenſium academia, poſt legitima experimenta & exantlata conſueta examina diſputationem quam inauguralem vocant, pro ſummis in utroque jure honoribus, & privilegiis doctoralibus rite obtinendis eruditorum examini magna cum laude ſubmiſit, ipſamque Doctoris dignitatem ſolenni ritu conſecutus eſt. Novis inſuper honoribus, quibus dudum dignus fuerat, auctus eſt ſecundo ſeculi hujus anno, quo mortuo BOEKELIO ordinariæ profeſſionis munus ipſi demandatum. Quanta cura, quo ſtudio, qua ſolicitudine beate deſunctus omnes graviſſimi muneris ſui partes expleverit, quam ſedulo publice privatimque tum docendo tum diſputando juvenum diſcendi cupidorum commoda promoverit, nemo apud nos ignorat, & ſi quis ignorat, teſtes omni exceptione majores ſunt inſignes jure conſulti qui ex ipſius ſchola magno numero prodierunt. Quam admirabili perſpicuitate in docendo fuerit uſus, qua facilitate genuinum ſenſum inquiſiverit, qua ſuavitate omnia propoſuerit, uno ore prædicant, qui caſtiſſimam juris diſciplinam explanantem audiverunt. Singulis juris partibus docendis ex ordine publica auctoritate admotus fuit, donec ante triennium, ordinis Juridici Senior factus, primariam obtinuit Codicis profeſſionem. In ſingulis autem cum auditorum fructu proponendis, & ad præſentis temporis uſum accomodandis, parem adhibuit induſtriam & ſedulitatem. In reſponſis juris, quæ plurima & varii generis publico Facultatis ſuæ nomine elaboravit, talem adhibuit diligentiam & ſolicitudinem, ut graviſſimis his & moleſtiſſimis laboribus dies sæpe noctesque ſtupenda ſedulitate immerſus fuerit. Ceterum non tantum viva voce auditorum ſuorum commoda promovere allaboravit, ſed etiam

B

monu-

monumentis nunquam morituris futuram ætatem instruxit. Testantur de eo disputationes plurimæ sub ejus præsidio ab eruditis juvenibus habitæ. Testimonium ejus perhibet primus consiliorum & responforum Helmstadiensium Tomus, anno proximo felicissimis auspiciis editus; cui secundum propediem addidisset, nisi utilissimo huic labori esset immortalus. Recensuimus hæcenus HOMBURGII natales honestissimos, educationem magna sollicitudine peractam, varia studiorum incrementa, dignitates amplissimas, labores gravissimos. Reliquum est, ut de vita privata, & beata hujus clausula pauca commemoremus. Pietatem, ad quam à teneris piissimæ Matris exemplo præceptorumque monitis adfuetus erat, per universum vitæ decursum domi & foris ex animo coluit, & qui juventutem sancte peregerat, virilem quoque ætatem, sui similis, pari pietate transmisit. Publico cultui sincera devotione nunquam non adesse solebat; nisi quod per proximum præcipue triennium adversæ valetudinis ratio, & plurimæ corporis infirmitates id sæpius impediverint. Quoties hoc factum fuit, domi suæ orando, cantando, sacri codicis, & devotarum meditationum lectione dierum dominicalium festivitatem peragere solitus est, Chrysostomi & Augustini homiliis maxime delectatus. Erga pauperes & egenos beneficium se præbuit, quod miseris his & difficillimis temporibus innumera exulum & inopum stipem colligentium turba fuit experta; ut non solum ex publico sacrorum cultu, & privatæ devotionis exercitiis, sed etiam ex infucatæ caritatis exemplis colligamus veram, non fucatam, pietatem ipsi semper cordi fuisse. In munere professorio, gerendo magistratu, administrando decanatu, & senatu academico, omnes viri prudentis partes ita implevit ut collegis omnibus nunquam non satisfecerit. Summa. Ex re & vero dicimus, nos amississe  
in

in HOMBURGIO Jureconsultum insignem, senatorem  
cordatum, professorem dexterrimum, collegam pacis &  
concordiæ studiosissimum, nemini gravem, omnibus carum.  
Ad vitæ exitum properamus. Corpus quod satis firmum,  
& per divinam benignitatem nullis propemodum infirmi-  
tatibus tentatum acceperat, stupenda docendi sedulitate, &  
continuis gravissimisque Facultatis laboribus sic attritum  
fuit, ut, cumulatim in eo scorbuticis humoribus, ingrave-  
scente ætate accessus podagricos sentiret. Anno seculi hu-  
jus undecimo, quo magistratus academici administratio-  
nem sustinebat, in altero pede excrescebat tumor, brevi  
tempore ejusmodi incrementa nactus, ut magna semestris  
illius parte domi se continere cogereetur. Advocatis in  
consilium Medicis experientissimis varii generis medica-  
menta adhibebantur, quæ malum hoc in aliis vel tollere  
penitus, vel mitigare atque mollire solent. Restituit etiam  
Deus ægrotanti valetudinem, quantumvis nunquam post-  
ea in pristinum vigorem redactam. Remittebat morbi vis,  
ut aliquando domo exire, publico Numinis cultui interdum  
interesse, & Facultatis suæ deliberationibus plerumque adesse  
posset. Ante paucas autem hebdomades non tantum re-  
crudit pristinum malum, sed persæpe de infirmitatibus  
ventriculi, sinistri lateris dolore, & membrorum lassitudine  
questus. Accedebant vigiliæ & interdum tales anxietates,  
cum respirandi difficultate conjunctæ, ut lecto egressus ali-  
qua noctis parte in musæo obambulare cogereetur. Tan-  
dem omnem propemodum cibum, omnem fere potum,  
fastidire cepit. His nuntiis de mortalitate sua monitus,  
proximis ante obitum diebus de vanitate mundi, vitæque  
hujus ludibriis, frequentissime locutus, sanctis cogitationi-  
bus ad ultimum iter se præparavit. Vigesima agebatur  
mensis proxime elapsi dies, quando in publico Facultatis  
suæ

suæ conventu præfens fuit, & finitis deliberationibus do-  
mum reversus, præter solitum aliquem cibi appetitum  
prætulit, & mediocriter pastus, post consuetos labores,  
circa decimam vespertinam in lectum se contulit, famulum  
autem, prout facere solebat, pias preces prælegere jussit.  
Circa secundam noctis horam famulum a se dimissum dato  
signo revocavit, de anxietate, quod sæpius factum, questus.  
Sed ne tum quidem vividus in vultu color mutatus, nec alia  
apparerunt majoris infirmitatis indicia. Ipse etiam dimisso  
iterum famulo, fatalem lectum repetiit. Sed non opinan-  
ti mortem ad caput adstitisse lux proxima, quæ solstitialis erat,  
ostendit. Inveniebatur enim circa septimam matutinam in  
lecto mortuus, tali situ, qualis dormientium esse solet,  
exactis in hac vita annis quinquaginta & octo, mensibus  
quinque cum sex diebus. Spiritus cum beatissimis  
Prophetarum, Apostolorum & sanctorum omnium menti-  
bus in paradiso vivit. Corpori precamur, ut suaviter quie-  
scat, in dormitorio, quod hæredes Patruo suo & Avunculo  
in æde sacra præparaverunt. Vestri autem officii esse no-  
stis, Cives carissimi, HOMBURGII eximias dotes &  
admirabilem in docendo perspicacitatem etiam post obitum  
venerari, & hodierni hora post meridiem prima, quando  
campanarum pulsus mortalitatis Vos admonebit, nobiscum  
frequentes ire exequias. Valete, & sic vivite, ut  
etiam bene aliquando mori possitis. P.P. ipsis calen-  
dis Julii Anno MDCCXIV.




35. Progr. in Fun. Stiliae Heinemannii, Com. Hrovnge, vnyng. 1661.  
 36. Bodmereri phil. et theol. stud. 1665.  
 37. Fiknadersi progr. orationis — a Braunfeldt praem. 1663.  
 38. progr. in Fun. puellae An. Mariae Krohn. 1666.  
 39. — An. Marg. Nagleri. 1666.  
 40. — — puelluli Joh. Rixneri. 1666.  
 41. — — jenelli Joh. Fr. Rixneri. 1666.  
 42. — — An. Eleon. Ackeri. 1666.  
 43. Carin. grat. ad Busmannum. 1667.  
 44. Ode in caritatem. 1678.  
 45. Andri. Helm. Hellberg gratulatio Acad. Juliae prof. 1778.  
 46. Progr. Henrici Wilschurpi. 1680.  
 47. Festu. nupt. Carl. Anoltri Drumbricht. 1678.  
 48. Lat. ac debet. officium ad evadum. 1678.  
 49. Pia vota ad Lud. Fabrum sponsorem et — Senrann. 1679.  
 50. Progr. in Fun. matris Bornemanniae, Cansmanni viduae. 1691.  
 51. Progr. tot. Rempen. 1709.  
 52. Progr. in Fun. An. Cath. Rineritiae, Hornesii vnyng. 1649.  
 53. Progr. XII Nov. A 1693.  
 54. — in Fun. An. Syph. Schmerhessiae, Sitt. Theod. Ackeri vid. 1702.  
 55. — Agnerae Kochner, Carp. Turberii vid. 1712.  
 56. Abhandlungensatzes abguldung von Veigt.  
 57. Progr. in Fun. Homburgii Sels. 1714.  
 58. Catalogus scriptorum in div. acad. editorum. 1732.  
 59. Progr. in Fun. Carolif phil. stud. 1757.  
 60. Musurgia Topapii 1757.  
 61. — Siedlii. 1758.  
 62. — Laur. Heideri. 1758.  
 63. De vita Frobenii. 1756.  
 64. Gratia panegygr. in diem nat. pini. Friderici V, laur. et  
 65. De des principitate. Progr. in christi natal. die. 1759.  
 66. Progr. in fest. Michaelis. 1762. —

96  
1233

— Nonnulla derunt —

ULB Halle 3  
001 920 952









PROGRAMMA

IN

FVNERE

VIRI

MAGNIFICI, NOBILISSIMI ET CON-  
SULTISSIMI

DN. ANDREÆ  
HOMBURGII

Jcti, Codicis in illustri Julia Professoris publici  
ordinarii meritissimi, & Dicasterii Wolfenbutelenfis  
Assessoris, Ordinis sui Antecessoris primarii.

P. P.

Calendis Julii MDCCXIV.



HELMSTADII,

TYPIS GEORG-WOLFGANGI HAMMII, Acad. Typogr.

55

